

**M O S C H U S**

**DISSERTATIO INAUGURALIS,**

QUAM

ANNUENTE

INCLYTA FACULTATE MEDICA

CONSENSU, ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

**PRAESIDIS ET DIRECTORIS,**

SPECTABILIS D. DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM

DOMINORUM PROFESSORUM

IN

ALMA AC CELEBERRIMA SCIENT. UNIVERSITATE PESTANA

PRO

OBTINENDIS

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

SCRIPSIT

**JOSEPHUS BERZON.**

Theses adnexae defendentur in Palatio Universitatis  
minori die Maii 1838.

---

BUDAE,


TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERS. HUNGARICAE.

M O S C H U S

O B T U T U

P H A R M A C O L O G I C O - M E D I C O

C R I T I C E C O N S I D E R A T U S .



Nicht die Wunder — sondern die Naturkraft dieses herrlichen Mittels sollte von den Aerzten untersucht, gepriesen, und in Anspruch genommen werden.

D u l k.

Das Einzelne zum Allgemeinen bis zur höchsten Einheit zu leiten, aus dieser dann das Verschiedenartige einzeln vorzuführen, diess ist die höchste Aufgabe um zur Wahrheit und Kenntniss zu gelangen.

B.

## Historia Pharmacognostica.

**M**oschus productam animale, in usu medico tam celebre, originem ducit a Moscho Moschifero, cuius locus in classi Mammalium est inter Bisulca, e familia Capreolorum. Genus eius characterisatur: Sub oculis nullae fossae lacrymales, mares et foeminae acornutae, mares dentibus laniariis superioribus solitariis exsertis, folliculo umbilicali. Speciei character essentialis: Pellis griseofusci coloris, pilis rigidis crassis obsita. Mas notatur folliculo ante praeputium sito, qui substantiam fragrantem secernit.

Character empiricus: forma externa capreae iuniori similis, distinguitur nonnisi prominentibus duobus dentibus laniariis, pollicem longis; colore vario uti omnia huius familiae animalia, saepissime tamen profunde fusco, proveciori aetate fusco-nigro, accedentibus maculis et lineis atris. Vivit in solitudine super praecipitibus rupibus vel in vallibus, praealtis montibus cinctis Asiae mediae, imprimis Regni Tibetani, Sibiriae, Imperiique Chinensis. Natura sua timidus adspectum hominis fugiens, tempore oestri venerei plures congregati in loca magis populosa veniunt. Vescitur plantis paludosis, foliis, radicibus imo corticibus iuniorum arborum. Caro est tenera, et in escam convertitur. Nec pellis eorum

suo modo praeparata, uti et ipsi dentes extra usum domesticum vel technicum relinquuntur. Maxime vero eo fine incolae illarum regionum laquearibus vel telis eos capiunt, ut folliculos in media Abdominis linea inter umbilicum, et genitalia mascula locatos excendant. Folliculi in facie abdominali plani, terrae vero obversa convexi, in adultis longitudinem 1, vel  $1\frac{1}{2}$  pollicis acquirunt, latitudinem  $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{3}$ ''; sulco longitudinali instruntur, cui ab intus prominentia longitudinalis obtusotriquetra respondet. In medio faciei inferioris ante prominentiam dictam canalis obliquus ad  $1$ — $1\frac{1}{2}$ ''' long. et  $1$ ''' lat. adest, evacuationi secreti dicatus, ostio semilunari terminatus. Constat triplici strato membranaceo, et duplici musculari interserto, inter quas copiosae glandulae secretoriae observantur. Continent secretum proprium, quod longo tempore qua productum morbosum ex ulcere vel tumore adiposo expressum et condensatum habebatur. Alii folliculos pro scroto habebant; moderno vero aevo tanquam organon propriae secretioni dicatum agnoscitur, quod cum functionibus sexualibus in certo foventur nexu. — Venatio ipsa in Tibeto nonnisi cum indultu Regiminis bis per annum instituitur, et folliculi ipsi sigillo regio muniuntur.

Distinguuntur in quaestu duae species folliculorum, quibus tamen et tertia a paucis tantummodo annis visa, nunc non amplius detegenda associari potest.

Sp. I-ma et pretiosissima est Moschus Tunquinensis, Tibetanus vel orientalis, Chinensis. Adferuntur folliculi in cistulis quadrato oblongis, ab intus lamina plumbi vestitis, insuper charta obductis, singuli vero propria charta obvoluti, et characteribus chinensibus insigniti. Character eorum principalis est, quod leniter compressi orbiculari rarius pyri forma occurrant, ad magnitudinem ovi columbini, pilis vestiti rigidis, setosis, colore flavicanti vel flavo-fuscescenti notatis, resectis tamen aut

detritis, in medio pili sunt subtiliores et profundioris coloris; ex utroque latere versus mediam lineam convergunt, et super ostio naturali notato in penicillum abeunt. His derasis profundior prodit color ipsorum folliculorum in fusco-atrum vel plane nigrum vergens. Facies abdominalis depilis membrana crassa oriaacea provisa est. Aperto suo modo infra describendo folliculo reperitur substantia in grumis maioribus irregularibus tela subtilissima cellulosa pertextis et saepissime pilis infectis. Odo-re instruitur fragrante, persistenti, proprio, a principio quodam aethereo, non vero, uti multis placet, a carbonate Ammoniae derivandus; qui odor per annos folliculis adhaeret, et imprimis, si madefiunt, percipitur. Sapor est subamaricans, acris et stipticus. — Vilior est

Spec. II. M. Cabardinus, Russicus, Sibiricus. — Folliculi distinguuntur maiores forma magis ovata, sunt depressiores, in margine frusta corii abdominalis adnexa monstrant. Horum pili sunt saepe integri, pollicem longi, versus finem subtiliores coloris sordide albi vel lactei, antrorsum vergentes, ubi ostium adest, circa quod pili sunt coloris flavicantis vel fusci in rubro-fuscum vergentis. Color ipsorum folliculorum est sordide fuscus. Continent Moschum in grumis minoribus magis pulverulentis, coloris dilutioris coffeae arabicae similioris, odoris saporisque debilioris, et hic quoque textura cellulosa et pili videntur, minus tamen grumos nectentes.

Spec. III. minus nota est M. Bucharicus, continetur in folliculis exiguis fere rotundis, utroque latere convexis, in superiori facie pili flavicanti-rubrofusci notantur. Sunt rariores, et in ostium urethrae penicillum efformant. Ipsi folliculi sunt griseo-nigri coloris, ceterum viliores et ex Moscho Altaico derivari videntur.

Distinguitur porro M. in Vesicis et ex Vesicis: Cum tamen ob ingens pretium multis obnoxius sit fraudibus, Pharmacopoeis tantum in vesicis emere sna-

detur, quas ipsi aperiant ratione sequenti: Folliculos siccos chartae bibulae involutos tam diu in madore contineant, donec extremum corii stratum molle factum sit, hacque ratione infectio contenti praecavetur. Externo hoc strato emollito transsectoque cauta tamen manu, ne internum tenerum violetur, mox ex integro denudatur folliculus, qui si aperitur, Moschus primae speciei in grumis splendoris expers comparet, insuper efflorescentia quaedam sub forma salis cristallini, ammoniacali cuidam sali adscribenda; non minus pili sub cautissima quamvis manu, immixti adsunt, qui probabile ab ipso animali continuo lambenti introrsum teruntur; sub minori vero cautela maiori numero praesentes spatula vel volsella excipi debent. Substantia tota mundata per proprium adparatum seu Perforatorium agitur, ut ab interna membrana liberetur, et sic grumoso induitur habitu; initio odor percipitur ammoniacalis, terdius vero amoenus ille proprius evolvitur.

Characteres genuini Moschi sunt: color proprius, lucidius vel profundius fuscus pro varietate speciei, pili semper immixti, solubilitas in aqua, qua tres quartae partes excipiuntur, ex qua solutione per tincturam gallarum vel acctate plumbi praecipitatur, non vero sublimato corrosivo; acido vero nitrico excolor fit. Confirmat ultro eius bonitatem tractatio eius in igne super cochleari ex platina facto, sub minori caloris gradu odorem spargit balsamicum fragrantem, intensiori intumescit in bullas, et imperfecte funditur subevolutione odoris ammoniacalis tandem ardet flamma lucida, et combustus relinquit carbonem levem cum pauxillo cinere albicantis coloris.

Adulteratur primo, ut pondus angeatur, plumbi et ferri frustillis, quae fraus facile detegitur. Maiorem vero oculi aciem requirit, si variis miscelis inquinetur, aut permutetur; talis fit ex sanguine sicco cum sale ammoniaco, et lixiva permixto, vel sanguis hircinus siccatus

in mortario cum ammonio caustico in pastam mollem quassatur, dein cum Moscho in massam aequabilem trituratur, et folliculis imponitur; quae vero omnes fraudes per criteria data eluduntur. Crudus est Moschus artefactus Chinensis sic dictus Vampo M. omni caractere genuino destitutus, et facillime reiicitur. Interim notari meretur, quod nullo etiam dolo subvertente aberratio adsit in folliculis, uti concretiones, quae ut sequelae morbi praecedentis habendae sunt; ita saepe partes subtiliores florum, certe ut pili per animal ipsum invehuntur. Non raro etiam suturae superficiales in externo strato deprehenduntur, quin fraus subsit, et rudi potius manui barbarorum venatorum adscribi debent.

### Relatio Chemica.

Referente Berzelio 1-mo Quantitas aquae cum partibus volatilibus variat inter 17 — 41 ex 100, cuius  $\frac{2}{3}$  p. sunt aquae et  $\frac{1}{3}$  Ammonium, et aliquod vestigium principii aetherei, quod quidem olei aetherei adinstar distillatione obtineri haud potest, aqua tamen super Moscho destillata, odore impraegnatur. Cum cero M. perfecte siccatus odore omni destituatur, et nonnisi madefactus eundem evolvat, non sine fundamento plurimi conveniunt Chemici, quod odorum illud principium per continuum decompositionis processum in contactu cum aere, et aqua oriatur, ad quod ammonium quidem non parum confert: ast non plenariam eius rationem continet.

2. Materia pinguis Aethere extrahitur duplex: christallina, et saponacea, haec tractatione ulteriori cum spiritu vini rectificato bulliente sub refrigeratione praecipitatur.

3. Resina per dictae solutionis spirituosae evaporationem accedente aqua cadit colore flavo-fusco; est molle



unguinum odoris Moschi, saporis amari, Kali caustico tantum solubilis.

4. Extractum alcoholicum post seperatam resinam per evaporationem obtinetur; praeter sales diversos et extractivum continet salem ammoniacum et chloretum calcis.

5. Extractivum aquosum ex Moscho, prioribus partibus per alcohol privato, ope aquae extrahitur forma pulveris fusci, nec acide, nec alcaline reagentis; sub combustione ammonium eructat, et cineres diversis salibus constantes relinquit. Ex 100 Moschi partibus sunt Materine pinguis 5, 1, Resinae 5, 0. Extr. alcoholici 7, 5. Extr. aquosi 36, 5. Partes residuae terrae 0, 4. aquae, partesque volatiles 45, 5.

In cineribus Moschi griseis ex 100 partibus sunt: Talcum, et Oxydum ferri, Carb. Sulfasque Kali, Murias Natri, terra ossea ex solutione aquosa praecipitatur per Ammonium phosphoricum, ammonio vero cadit talcum, manet adhuc intus Kali. Ammoniumque propriae materiae iunctum, quae aqua insolubilis est, et acidis praecipitanda; iuxta Buchner acidum Moschi.

### Resultata Analyseos Thiemanni sunt:

	Partes aqua solubiles	90	Partes aqua solubiles	50
	Alkohole . . . .	$\frac{1}{4}$	Alkohole . . . .	$\frac{1}{2}$
	Destillatione cum aqua et Kali:			
	Carbonas Ammoniae	$\frac{1}{10}$	Carb. Ammoniae . .	$\frac{2}{10}$
	Tractatione cum aethere, alkohole et aqua:			
Moschi Tunquinensis.	Cerae purae . . . .	9	Subst. unguin. ceraesim.	5
	Resinae . . . .	1	Resinae mollis . . .	5
	Glutinis . . . .	60	Glutiniformis . . .	50
	Album. Corii . . . .	30	Albuminis . . . .	0
		100	Corii . . . .	36
			Partes perditae . .	4
			100	

Moschi Cabardini.

	Ex cineribus in 100 partibus :				
Moschi Tunquiniens.	Carb. Kali . . . .	1	Carb. Kali . . . .	0	Moschi Carbardini.
	Muriatis Natri . . .	3	Muriatis Natri . . .	0	
	Carb. calcis . . . .	4	Carb. Calcis . . . .	2	
	Carb. veget . . . .	2	Carb. veget . . . .	0	
		<hr style="width: 50%; margin: 0 auto;"/> 10		<hr style="width: 50%; margin: 0 auto;"/>	2
	Olei aetherei nihil.				

Ex his adparet magnam omnino intercedere differentiam et physicam et chemicam inter utramque speciem; non secus practico usui melius observatur respondere M. Tunq. Interim observatur saepe saepius ex prima specie vilior, et ex secunda praestantior occurrere; quapropter non abhorret a veritate sententia a Pallas, Avienne, et aliis prolata: essentialem differentiam vix esse in producto animalis ad eandem speciem pertinentis, sed potius eam a climatis, soli, alimentorum, imo aetatis diversitate derivari.

### Pharmacodynamia.

Virtus Moschi medica tantam celebritatem sibi comparavit, ut in certis morborum formis, certisque sub circumstantiis tuta, nulloque alio remedio supplenda inter Medicos practicos habeatur; rarissime porro datur substantia medicamentosa, de qua uti de hac, posset praedicari, quod in discrimine vitae decretorie salvans sit. Attamen generalem dynamicum characterem necdum Pharmacologi unanimiter depromserunt. Ut vero iste ex firmo statuatur fundamento, non erit a re primo recensere ea, quae in sano et morboſo organismo producit phaenomena; dein comparare cum substantiis, cum quibus ob virtutes speciales et ob nexum, quem in therapia multorum morborum saepissime desiderat, in certa est rela-

tione, et tandem ducere limites, per quos ab illis distinguitur.

Mutationes in organismo sano per adhibitum *M.* conspicuae non sunt quidem graves, quare multi eiusdem virtutem in dubium vocarunt; ast statum sanum rite distinguere debere a morbo qui perpendet, illum quoque non fugiet, effectum medicamentosum non a solo remedio, sed a concursu eiusdem actionis cum organismi viva reactione dependere. *Sunderlin* adducit sequentia communia: Assumpto mane scrupulo *M.* 1., post pauca minuta ingruit somnus levis ut post crapulam, pulsus evasit frequentior, plenior et mollior sub leni cutis transpiratione, quae omnia 2 horis tardius evanescere, quin debilitas posthuma sequeretur; transspiratio vero et urina, imo exhalatus spiritus *Moschum* et altera die redolebat. In aegro vero diversa observantur pro diverso statu morbo; ut iam pulsus parvus, tremulus, inaequalisque plenior, maior et aequabilior reddatur, iam cuti luridae, siccae, ardenti amoenus calor, lenis transpiratio adducatur, iam marcida sudore viscido perfusa, et frigida tonum acquirat: iam vita languens erigatur, sensibilitas augeatur, iam vero effrenis irritatio, motusque abnormiter exaltati compescantur. Hinc diverso a diversis insignitur titulo; ab aliis *Nervino-tonicum*, ab aliis *Nervino-volatiliter stimulans*, ab aliis *Excitans*, ab aliis *Antispasmodicum*. — Ast quis practicus non harum enunciationum unilateralitatem perspiciet? a nonnullis tantum effectibus, quos cum aliis communes habet, desumptam. — *Nerviuo-tonicus* seu roborans dicendus esset, si directe vis nerveae energiam erigeret; ast quam multa exstant exempla merborum, in quibus hac virtute plane destituitur! Quis unquam cum optato successu enim adhibuit in debilitate post evacuationes excessivas in tabe nervosa? Annon observatur contraria vis sopiendi in *Nervosa* versatili exorbitan-

tem sensibilitatem et irritabilitatem? Non minus, compositis per M. rite adhibitum motibus spasticis violentissimis, languescencia saepe saepius relinquitur. — Volatiliter stimulantibus si adnumeratur, adverti debet actionem eius omnino celeri passu in totum systema diffundi, ast non aequali modo volatiliter stimulantibus ad instar evanescere; quapropter non latet praticos, ut effectus aliquis desideratus observatur, maiora interponi debere intervalla, insuper ut alibi, et hic imprimis dependet ab individualitate, ut in aliquibus perceptio est tarda, in aliis transitoria, in aliis tandem permanens. — Antispasmodici nomen minime convenire, docet cohors morborum spasmodicorum, in quibus nulla quidem inflammatio, aut erethismus, nec alia complicatio observatur; quin tamen a Moscho vel minimum levamen, taceo perfecta sanatio expectari possit. Evempla sint Epilepsia, Cardialgia, Cholera, Ileus spasmodicus etc.

Discrementa Sunderlin: Moschum unice systema nervosum afficere, reliquis cunctis intactis, iuducuntur Recentiores ad statuendum characterem dynamicum Moschi in qualitativa proprio modo mutatione Status interni abnormis systematis nervosi, analogae ratione, advertente Ehrhardo, influxui dinamico Contagiorum.

Est proin Moschus stricto sensu Nervinum, h. e. Systema n. celeriter in sua totalitate afficiens, quin immediate energiae gradum mutet, vel motum organicum modifcet; quin porro processum vegetativum attollat, vel deprimat, sed ut merum et purum nervinum vitam nervorum internam qualitative emendans. Talia mera nervina pauco dantur, quae tamen, inter se differunt ea ratione, ut alia v. g. Asa foetida in gangliosum systema, alia medullam spinalem v. g. Strichnina, alia nervos, uti Phosphorus immediatum exserant influxum;

Moschus vero in totalitate systema adficit. Porro differunt eo, ut alia in Nervos sensui dicatos, alia illos motus, M. utriusque generis influit. Cum alia tarde nonnisi ponant effectum suum, alia nimia celeritate, M. lentiori passu, sat mature tamen exerit effectum, diutius quoque perstantem. Ab eis autem nervinis, cum quibus in similibus morborum formis saepe in usum trahuntur, quapropter effectu saltem mediato considerato, ob affinitatem licet remotiorem, adunum ordinem ponuntur, nimio opere differt, ut a Camphora ut volatilium Prototypo, quae Systema non minus Irritabile ac Nervosum quantitative adficiens, ceu volatilis, ut celeriter influit, rapide et sensorii communis et systematis vasorum actionem impellit, prae ceteris periphericorum; et quoscunque edit effectus, ex restituto inter Sensibilitatem et Irritabilitatem aequilibrio derivandi veniunt. — Castoreum aequae productum animale, systema n. non in sua totalitate adficit; restringitur eius actio ad s. gangliosum, gubernat nervos organorum cavi pectoris et abdominis. Sphaeram vero vitae sensiferam altiore, ut sensorii communis et sensuum minime adficit; irritat vero S. haematophorum, cuius effectus imprimis in organis abdominalibus conspiciuntur. — Pari ratione Ammonium irritativam actionem vasorum systemati communicat, et pro quantitate adhibita, iam vasa peripherica impellit, iam vero secretiones cunctarum membranarum dermaticarum promovet, iam vero incaute adhibitum sanguinis crasim plane turbat, dum nempe, irritatione sub forma orgasmi praegressa, mox colliquationem inducit; quoad influxum vero in sphaeram sensitivam et Moscho et Camphorae longe cedit, in nervos cutaneos magis eum manifestat, per quem pro Calido Diaphoretico habetur.

Limites Moschi tanquam puri et per Excellentiam Nervini, ducendo non reticendum censetur, quod plebei nomen ejus adeo horreant, ut si vel id audiverint, ae-

grum iam mortis victimam putent; erronee nimirum per cunctantes Medicos inducti sunt ad credendum: Remedium hocce in desperatis non nisi casibus esse adhibendum, ut divini cujusdam adinstar miraculose vitam salvet. Ast rationalis Medicus divinam omnino huiusce virtutem recto tempore sciet uti, et indicatione praesente doses minores excessivum eius tardio rem usum in opprobrium remedii, et terrorem profanorum, superfluum reddent.

His praemissis Indicationem non ex debilitate solum S. nervosi sumimus, sed ex indole in sphaera praecipue vitae sensiferae altiori peculiariter abnormi; e contra Atonia vera solo hoc remedio non suffertur; et vicissim exorbitantia sensibilitatis, aut irritabilitatis non prohibet eiusdem usum. Quare bene Tourtual Moschum contra ponit Opio.

Adhibetur vero frequentissimi in sequentibus morborum syst. nervosi formis.

I. In febribus typhosis, sporadicis, vel contagiosis, acutis vel lentis, simplicibus vel cum Efflorescentiis complicatis, protopathicis vel deuteropathicis. Ast typhus non inconditionate usum huius postulat, sed recte adhibetur imprimis sub statu nervoso, et quidem rectius, ubi agilitas morbosa systematis nervosi locum habet, quam in torpore, nisi tunc ab aliis vita erigatur, et ad percipiendum Moschi vim praepararetur. Nam requirit certum gradum perceptivitat, quae quidem ob debilitatem in toto organismo normam transcedit, et imprimis in inordinata mobilitate et versalitate cognoscitur; ast non solum in illa fundatur, sed in propria Nervorum constitutione; hinc aetati infantili optime convenit; hinc in organismo sano notabiliores raro producit mutationes; hinc in torpido statu tanquam remedium iners saepissime proscribitur; hinc a multis, qui momento praesentissimo uti non sciunt, v. arte illum procurare, quorelae de Mo-

schi Insufficiencia, vel plane Inefficacia. — Subordinatee sunt huic generi sequentes species:

**Typhus contagiosus**, sub stadio nervoso erethistico in quo non agilitatis certe augmentum, nec energiae gradum altiorem ab eo exspectamus, sed internum statum ordinare et ad normam vitae reducere studemus; quae quidem exorbitans agilitas cum atonia iunctim incedit, ast non ex ea resultat; nam torpidus status ab Ammonio, Camphora et similibus stimulantibus ad energiam excitari debet. — Proxime accedit:

**Febris nervosa** sic dicta versatilis: in qua observante Quarin, invitant eius usum, pulsus parvus debilis, aequabilis et duriusculus, scilicet irritationem manifestans; cum e contra mollis Camphoram, inaequalis Castoreum desiderant. Porru oculus torvus, barycoia, respiratio laboriosa, vox balbutiens, deliria taciturna, floccorum captiatio, singultus, subsultus tendinum, cutis sicca ardens. Ubi vero cutis marcida sudore viscido perfusa, pulsus parvus tremulus adest, iners manet hocce remedium, nisi per Camphoram vel Ammonium erigatur eius vis vitalis. Observatio recentior in Clinico Universitatis Pestanae Medico felicissime facta docet Acidum oxymuriaticum alternatim cum Moscho terpidum hocce Stadium in proclamato licet statu debellasse. Aliis in casibus, si cum septico statu incedit, in connubio cum sulfate Chinini. — Sequuntur:

**Exanthemata acuta**, si ob vitam languentem nervorum cutaneorum eruptio illorum critica impeditur, et irritatio morbosa cum sensibilitate et mobilitate abnormi comparent; his scilicet sub circumstantiis Moschus actionem cutaneam non solum erigit, sed qualitative quoque emendat, et Scarlatina, Morbilli, Milliaris elegantissime florent; ita saepe sudor criticus erumpit cum levamine aegri et functionum ceterarum harmonia restituta.

Pari ratione virtus eiusdem se offert in *Metastasis* periculosis evanidae efflorescentiae cutaneae, vel morborum chronicorum, uti: *Rheumatismi* et *Arthritidis*. Interim non est obliviscendum: Indicationi eius saepe praemitti debere et alia, ut *Emeticum* in *Gastricismo*, etsi per ipsum statim nervosum producto, ut brevissima via causa irritationem sustentans eliminetur; vel *Calomelam*, vel saepe ob *Erethismum*, *Digitalem purpuream* etc.

II. Genus constituunt *Inflammationes*, ast non qua tales, sed ubi *Exorbitantia* arteriarum iam fracta, irritabilitas et sensibilitas morbosa sub forma spasmodum evagatur, momentum omnino instantissimum pro *Moschi* usu; quod praeprimis obtinet in *Inflammationibus* partium sensibilibus, nobiliumque. Luculentissimo inserviat exemplo irritatio *Encephali* cum validis deliriis incedens, tunc sensibilitas, et confusio sensuum per *Moschum* tutissime sufferuntur. In *Stadio Exsudationis Hydrocephali* acuti, dum convulsiones iam comparent, fere ad unicum hoc remedium tanquam sacram anchoram confugitur, sed a *Calomela* adiutum. In *Angina polyposa* non raro fracta vi phlogistica, remotoque suo modo secreto morboso tanquam mechanico impedimento, dum spasmi suffocationem minantur, *Moscho* citissime succurritur, ut in *Asthmate acuto Millari*. Phlogisticus quoque status *Moschum* urget in *Gangraeva senili* in connubio cum *China*, aliisque stimulantibus, vel opio; ast ex hoc ipso remediorum selectu iam cognoscitur natura huius morbi in decreptis longe ab inflammatione genuina differre; nam memorata remedia non ob inflammationem certe quam potius ob periclitantem organismum universum dantur, cuius status periculosi gangraena est *Reflexus*.

III. Genus sunt *Neuroses*. Ne autem quis in errorem deveniat, ut putaret *Moschum* qua *Nervinum* efficacissimum proniscue in morbis nervosis medelam prae-



aliis promittere; oportet Neuroses brevi conspectu prae-  
vie lustrari, ut innotescat, quibus *M.* conveniat, quibus  
vero per alia succurrendum veniat.

Indefesso recentioris imprimis Anatomiae et Physio-  
logiae conamihî in acceptis habemus, ut structura et si-  
gnificatione praecipuarum s. nervosi partium clarins per-  
specta; morbus eorum rarissime pro universali iudicetur,  
sed causa saepe saepius uni huius systematis ceteroquin  
per organismum diffusi, parti, propius inniti agnoscatur.  
Quapropter in tres Ordines invat eas dispesceré:

A. Neuroses vegetationis organicae, s. S. gangliosi.

B. Neuroses Incitabilitatis et motus organici; seu  
Neuroses organorum ventralium sensibilium, eo-  
rumque nervorum.

C. Morbi syst. sensibilis, quatenus in sensibus ex-  
ternis internisque turbatis occurrunt; seu *Nevr.*  
organorum sensuum et morbi psychici.

Neuroses I-i ordinis praecipue cum ipsa vegetatione  
cohaerentes, in se — et excretionibus manifestantur; in  
ipsa autem mutatione materiali radicanur; in his. expe-  
rientia edocti unanimes Medici Moscho omnem effica-  
ciam denegarunt, aut plane noxiam virtutem adscripse-  
runt; hinc in caterva morborum abdominalium nihil a  
*Moscho* expectandunt.

*Nevr.* II-i Ordinis iuvat primo differentia maxime  
generali distinguere; 1-o an in adfectione nervorum se-  
sitivorum 2-o an vero motricum primarie radicanur;  
quamvis enim nervi sympathia maxima foventur, et tur-  
bata unius indole influxus in functionem alterius obser-  
vatur, magna tamen differentia et therapiam modificans  
inducitur a primaria morbi sede.

a. Morbi in adfectione primaria nervorum sensitivo-  
rum locati cum statu nervoso febrium coincidunt; et quam-  
vis forma diversissima comparent, communis tamen eo-  
rum charater est: turbatio indolis internae, qua oscil-

**l a t i o** illa propria, et **r e a c t i o** i n c o n s t a n s (*Haltungslosigkeit*) in sensitiva sphaera producitur, non semper atoniam exprimens. Ex his suapte patet, uberrimum hic campum pro Moscho cum fructu exhibendo offerri.

b. Maior neurosiuum turba in motu abnormi conspicitur sub forma spasmodum, quorum character essentialis quamvis in abnormi nervorum motricum actione continetur, attamen Physiologico, et Pathologica obtutui aequae, ac practico usui convenit distinctio Recentiorum in Spasmos  $\alpha$ . **I d i o p a t h i c o s**, seu ubi causa motus abnormis in vita ipsius n. motricis interna continetur, et  $\beta$ . in **S y m p a t h i c o s**, cuius causa a vita n. sensitivorum interna morbosa derivatur; ita non raro videmus post haemorrhagias largas, vel excessivam nobilium humorum evacuationem, vel post animi pathemata momento, aequilibrio inter sensitivos et motrices nervos turbato, vehementissimos spasms oriri. Status talis nervosus cum atonia versatili incedens, sub insultu licet horridi suut, saepissima tamen transitorii, cansi, remotis minime periculosi.

Maioris significationis sunt **I d i o p a t h i c i**, quorum causa proxima in nervis motricibus radicator; suut vero duplicis seriei, vel enim debentur 1.º pathologicae n. motricum super sensitivos praevaletiae, ut in **t r i s m o**, **t e t a n o**, in quibus sectiones pathologicae docent, illos in inflammationis statu repariri, ita **E p i l e p s i a**, ubi videmus motus nervos ita praevalere, ut sensitivos successive suffocent, et paralyticos reddant, sic amentiam et fatuitatem inducere; vel vicissim ex morbis mentis diu durantibus tardius **E p i l e p s i a**m evolvi. — Vel 2.º **V e r s a t i l i t a t i** idiopathicae ipsorum n. motricum ob teneritudinem et temperaturam, ut ita exprimant, necdum maturam, ut infantili aetati propria est; hic imprimis sub eruptione **E f f l o r e s c e n t i a e** febrilis frequentissime spasmi occurrunt, et facilius sufferuntur, quam in senibus decrepitis, ubi vera atonia extremum minatur.

Uterior prosecutio in divisione spasmodorum hic loci non est, sed sufficiat statuere Momenta pro Moschi applicatione, qui iuxta expositum characterem dynamicum ut mere Nervinum ibi rationaliter convenit, ubi spasmi ad sphaeram magis sensitivam referendi veniunt; proin sympathicis et illis, qui cum versatilitate et intemperatura incedunt, ut in infantibus, minus vero in idiopathicis, minime in illis, qui per causas materiales sustentantur, ut Gastricismus, Helminthiasis, Infarctus etc.

